



g...





ORDO

67

**STVDIORVM**  
 ET LECTIIONVM IN A-  
 CADEMIA IVLIA, QVAE EST  
 Helmæstadij, Renouatus & publicè  
 propositus, initio semestris Aesti-  
 ualis anno 1599. à die fe-  
 sto Paschatis.



*Max. Gumprecht,  
 stud. theol.  
 10. Januar 1876.*

HELMAESTADII  
 Excudebat Iacobus Lucius, Anno  
 M. D. XCIX.



PRORECTOR ACADEMIAE  
IULIAE LAURENTIVS SCHEVRLER

Vlmensis, S. Th. D. & Professor ordinarius, Ec-  
clesiæ Helmstatensis pastor & generalis  
Superintendens lectori S.



Roditum est monumentis veterum, fieri non  
posse, vt qui vno eodemq; tempore plura in  
manibus habeat: ea dextre & feliciter simul  
peragat. Cum quâ sententiâ, facit versus  
Martialis.

*Vno credis equo posse sedere duos:*

Et alter Cornelij Galli

*Non res oppositas mens capit vna duas.*

Hi versiculi etsi ad omnia genera vitæ, commodè referri  
possunt, tamen potissimum de cœtu discentium, seu de  
vitâ scholasticâ, commodissimè intelliguntur. Qui enim  
spartam suam, præclarè in addiscendis bonis literis orna-  
re cupiunt, ij, vt totos se studijs addicant, & ad illa sola  
animum appellant ac applicent, necesse est. Qui verò si-  
mul animum ad res alias, à studijs alienas adiiciunt, veræ  
ac solidæ eruditionis nullam partem assequuntur. Quem-  
admodum igitur nautæ, omnes in mari scopulos fugiunt,  
ne in eos impingant & naues frangant, & in cursu, impe-  
diantur: & sicut viatores, deuia loca vitant, & regiâ viâ  
iter faciunt: Ita etiam scholastici, omnia, cursum studio-  
rum suorum impediencia, sedulo & diligenter caueant ac  
declinent, & certo, optimoq; ordine in studijs pergant,  
hisq; solis, omnibus alijs non necessarijs exclusis ac se-  
motis, totos se dedant. Deinde attentè considerent quid  
Homerus Poëtarum facilè princeps scribat, cum Græci  
bello decemnali Troianos petiissent ad repetendam  
Helenam, vulgus, domum reuerti voluisse re infectâ, sed  
hoc

hoc non tulisse prudentium vixim, graui aduirta-  
tione, turpissimum esse, diu morari in eodem loco, nec  
quicquam efficere, sed inanem redire domum. *αιχρον τοις  
δηρον τε μενεειν μενεοντε νεεεθζ.* Hoc dictum, meritò omnium a-  
dolescentum animis altissimè insideat, & omnibus parie-  
tibus inscribatur, vt missi à parentibus in longinqua loca,  
vel in academias, omnia sua studia eò dirigant ne tempus  
turpissimo otio terant, sed illud omne sagacibus medita-  
tionibus, strenuè ac gnauiter literis incumbendo, scri-  
bendoq; consumant, ne vacui, quod foret turpissimum,  
in patriam redire cogantur. Quemadmodum autem &  
certus studiorum ordo, & diligentia, à discipulis re-  
quiritur: Ita etiam docentes officium suum faciant  
& diligenter cogitent de illo Ieremiæ dicto cap. 48. vers.  
10. Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.  
Ob eandem causam, Reuerendissimus & Illustrissimus  
Princeps ac Dominus, Dominus Henricus Iulius, postu-  
latus Episcopus Halberstadenensis ac Dux Brunsvvicensis  
& Lunæburgensis &c. Dominus noster clementissimus,  
singulis annis in publicum edidit ordinem studiorum  
& lectionum, in Celsitudinis suæ Illustri academiâ Iu-  
liâ, vt non modò auditores nostri scirent, quid expectare  
à suis præceptoribus debeant, sed exteri etiam intellige-  
rent, magnum se facturos esse operæ pretium, si ad aca-  
demiâ nostram vel ipsi veniant, aut suos mittant, bonis  
moribus, & multiplici, verâ doctrinâ imbuendos. Vt  
etiam re ipsa testemur, nos Deo dante, officio nostro non  
defuturos esse, in isto consilio, operas scholasticas hac  
ratione deinceps administrabimus, quam sequens cata-  
logus indicat. Ex Iulia 20. Iunij. anno 1599.

A 2

CATA-

CATALOGVS PUBLICA-  
rum prælectionum.

FACULTATIS THEOLOGICAE.

**M**AVRENTIVS SCHEVRLE D. Ecclesie  
Helmstatis pastor & generalis Sup. perget in Ex-  
plicatione Minorum Prophetarum, & quia nuper in-  
cepit Enarrationem Prophetæ Habacuc, ipsum hoc se-  
mestri absoluet, obseruabit autem methodi rationes, scilicet ut in-  
uento scopo & consilio Prophetæ, non modo textus & diuersi loci: aug-  
menta & amplificationes: figuras: & phrasin Linguae: sed Locos  
etiam Theologicos, ad benè beateq; viuendum accommodatos, ac-  
curatè & diligenter ostendat: sed formulas etiam concionum adij-  
ciat, & monstrer, quomodo obscuriores textus, familiariter ple-  
bi tradi & exponi debeant. hora 2. pomerid.

HENRICVS BOETHIVS D. in Locorum Theologico-  
rum explicatione perget: & deinceps Locum de peccato, Iustifica-  
tione, bonis operibus &c. explicabit.

CASPARVS PFAFRADIVS D. post celebrata Spi-  
ritus, S. in Budoefiam collata beneficia, ad Explicationem epistolæ  
Pauli ad Romanos Analyticam redibit: simulq; continuabit do-  
ctrinam, de persona Christi diebus ordinarijs: Extraordinarijs ve-  
rò Mysticarum prædicationum genus, à variorum Confessionis no-  
stræ aduersariorum sophismatis, Deo adiutore, vindicabit.

IURIDICAE.

VALENTINVS FORSTERS D. Senior & ordina-  
rius, traditurus est Statum Iurisdictionis, qualis fuit, sub postre-  
mâ etate Romani Imperij, sub Monarchia nempe à Iulio Cesare,  
vsq; ad Iustinianum: cui præsentem Romani Imperij Iurisdictionis  
suam, subiecturus est: hætenus ea ratione non propositum.

ANDREAS CLVDIVS D. & Codicis ordinarius Pro-  
fessor, in explicatione insignis tituli: de conditione indebiti, ver-  
satur, eumq; dignitate huius materiae id ipsum exigente, plenè  
expli-

explicat. Non tantum enim Leges in C. & ff. sub dicto titulo ex-  
tantes, verum etiam alias, per totum Ius sparsas, ut ad eundem  
pertinentes, luculenter exponit. Atq; hoc semestri spatio, Deo be-  
nè iuuante, instituta tractationi, supremam manum imponet. ho-  
ra nona matutina.

EBERHARDVS SPECKHAN D. haëtenus in se-  
cundo libro Decretalium Gregorij Noni progressus est, usq; ad ma-  
teriam probationum, per aliquot Titulos diffusam, quam oim be-  
aggre dietur, & secundum ordinem Capitulorum explicabit, ubi  
prius in gratiam studiosorum quorundam, id obnixè ab eo peten-  
tium, insigniores Iuris Casarei & Pontificij differentias, aliquanto  
plenius & accuratius, & ad certas classes redactas, exposuerit: In  
quo opere versatur.

FRIDERICVS DASYPODIVS D. incipiet Ius Feu-  
disticum, quod in certas disputationes distribuet, & in singulis ma-  
terijs, singulas quaestiones explicabit.

STATIVS BORCHOLTEN D. absoluet explicatio-  
nem Tituli de Regulis Iuris, & ea absoluta, ad Libros Institutio-  
num Iustiniani reuertetur.

IOHANNES BARTEVS D. primum Institutio-  
num Imperialium librum hoc semestri aestiuo studiose Iuuentuti  
proponet, & fauente Christo, antiè proximum Michaelis festum  
absoluet.

### MEDICAE.

IACOBVS HORSTIVS D. pro tempore Decanus, &  
Senior facultatis Medicae, perget Hippocratis practicae explicare,  
& hoc sequenti semestri absolueret, curatiuam particularium mor-  
borum internorum. Prinaum verò disputationes Catholicas, in  
tertia Medicina parte, dicta a Galieno continuabit.

FRANCISCVS PARCOVIVS D. Explicationem primi  
libri prognosticorum Hippocratis, usq; ad illa, quae ab hypocho-  
ndrijs sumuntur, perduxit, in quibus explicandis ordine perget,  
& quando ordietur secundum librum, usum praeceptorum in Epi-  
demijs

*uemy's historys, vel in quatuoraginta duobus aegris, quos Hippocrates in libris de morbis vulgaribus descripsit, studiosis monstrabit, singulorum egrorum historias ordine explicans. hora 2.*

*GASPAR ARNOLDI D. Enarrationes suas in artem Medicinalem Galeni continuabit, & nobilissimam signorum doctrinam ut minimum hac estate absoluet. Physices quoque praedicationes adiunget, hora 9. antemeridiana.*

*IOHANNES SIGFRIDVS D. explicat quartum librum Dioscoridis de Medicinali materia, quo absoluto quintum subiunget. Cui adijciat explicationem libri Galeni de ossibus, à quo ad reliquos eiusdem Galeni libros Anatomicos enarrandos, progredietur. In Dioscoride leget diebus Luna & Martis: In Galeno Iouis & Veneris, hora 6. matutina.*

*IOHANNES VVERNERVS D. Explicabit publice  $\psi\chi\alpha\lambda\alpha\sigma\iota\varsigma$ , hoc est, de sanitate seruanda, priuatim verò disputabit in physiologicis.*

### PHILOSOPHICAE.

*IOHANNES CASELIVS D. Interpretatur ultimū librum Ethicorum Aristotelis, quo absoluto, interpretabitur eiusdem Philosophi Libros, de optimo statu ciuitatis, quae  $\pi\omicron\lambda\iota\tau\iota\kappa\eta$  inscripsit.*

*THEODORVS ADAMIVS D. Orationem M. Tullij, pro M. Marcello explicat, in ea, quia parum superest, ad Epitomen Rhetoricorum Aristotelis aliorumque dicendi Magistrorum, denuo tradendam, se accingit.*

*DUNCANVS LIDDELIVS Scotus, D. publicè proponit doctrinam Sinuum & Triangulorum: qua absoluta aggredietur Theorias Planetarum, secundum hypothesein Ptolomei & Copernici, & illam Mundani systematis hypothesein, quam describit Tycho Brahe, lib. 2. de aethereis phenomenis, adiunctis preceptis calculi Alphonsini, & Prutenici, ac praeterea supputatione apparentiarum caelestium in singulis Theorijs, ex observationibus Ptolomei & Copernici, per doctrinam Triangulorum. Disputando absoluet physiologiam, pathologiam, & Seimioticam, partim publicè partim priuatim, perget in disputationibus Therapeuticis.*



M. OVENVS GVNTHERVS. Explicationi 4. librorum  
Aristotelis de cælo, subiunget praelectionem duorum librorum de  
generatione & corruptione eiusdem.

M. SIMON MENCIVS Quedling. post explicatã primò  
doctrinam Spharicam, & additum deinde Tractatum de Iudicijs  
Eclipsium & Cometarum, repetet hac astate arithmeticam pra-  
cticam. horis antemeridianis: pomeridianis verò perget in Plauti  
interpretatione & alijs exercitijs Linguae Latinae.

HENRICVS MEIBOMIVS Poeta Caesarius, historiã  
vniuersalem, secundum quatuor Monarchiarum seriem, succinctè  
explicabit: utq; progredi eò possit citius, quatuor ordinarios dies  
huic lectioni tribuet: die Mercurij & Sabbathi, in gratiam Iuuen-  
tutis, erudita pietatis studiosa, synodorum Oecumenicarum histo-  
rias, ex puriori Antiquitate collectas proponet.

M. VALENTINVS SCHINDLERVS praelegit he-  
braicae Linguae Elementa.

M. ANDREAS GRYPHENIVS, interpretatur hymnos  
Pindari, Poeta vetustissimi, sapientissimi, & Lyricorum Poeta-  
rum, omnium iudicio principis.

M. CORNELIVS MARTINVS, quod nuper cepit, suc-  
cinctum Logices compendium, publicè tradere perget: & hoc anno  
Deo volente absoluet. Priuatim autem collegium Ethicum & Phy-  
sicum continuabit: & paucis mensibus cum Deo benè iuuante v-  
trumq; ad finem perducet. In Metaphysica quoq; nobilissima & v-  
tilissima omnibus vera & solida doctrina suauioris scientia, ea qua  
cepit dexteritate & diligentia, progredietur.

M. IOHANNES POTINIVS, interpretatur Orationẽ Ba-  
silij M. ad adolescentes, Quomodo ex graecis literis utilitatẽ capiãt.

## EXERCITIA PVBLICA

& priuata.

Disputationes publica ordinariae, secundum ordinem qua-  
tuor facultatum, fient singulis mensibus.

Priuata

*Privata vero & Extraordinaria, tam in ipso collegio, quam in edibus privatis, & quidem in singulis facultatibus, à certis Magistris, non tamen nisi ab Academia probatis, penè quotidie habentur.*

*Declamationes, non modò in publicis festis collegij, sed à singulis etiam professoribus, in prælectione noui authoris, audiuntur: poemata quoq̃, in diuersis Academicis solennitatibus, à poeta ordinario, publicè recitantur.*

*Examina ordinandorum, singulis penè hebdomadibus, publicè, Loco publico, in presentia studiosorum Theologiae, accuratè & diligenter instituuntur.*

*Examina stipendiariorum, Reuerendissimi & Illustrissimi principis & domini nostri Nutritoris, quolibet semestri, proposita etiam scripti materia, Rhetoricè disposita, peraguntur.*

*Demonstrationes: non tantùm Grammaticorum ἐνδείξεις, & Mathematicorum ἀποδείξεις sunt: sed etiam aliarum Rerum, quæ Indice & demonstratore opus habent. Vt sunt Ecclipses, caelestia corpora, eorumq̃ in cælo dispositiones.*

*Anatomicae etiam demonstrationes, siue humanorum corporum sectiones, pro Qualitate & tempore anni, crebrius quàm fortassis alibi habentur.*

*Herbationes quoq̃ solennes, ubi herbae, & herbarum, atq̃ plantarum omnes partes demonstrantur, Ternæ, quotannis, à Botanico instituuntur.*

*Postremò, etsi Comædias & Tragædias multas, non placeat explicari, ne alia, quàm quæ sunt necessaria negligantur: tamen aliqua aguntur, & memoriter recitantur, à Iuuenibus. Vti dum personam simulare discunt, quam præscribit fabula Actor: Veram aliquando, Reip. aut Ecclesiae admoti, cum laude sustineant. His enim volunt refici, Animi fatigati serijs studijs, & certè, voluptas est, & Recreatio, quæ infra modestiæ & verecundiæ Terminos, se continet.*

**Deo soli gloria.**

- 35. Progr. in Jun. Ottiliae Steinemannii, Com. Hornesii coniug. 1661.
- 36. Bodowicieri phil. et theol. stud. 1663.
- 37. Fiknadersi progr. orationis — a Braunifelt praem. 1663.
- 38. progr. in Jun. puellae An. Mariae Krohn. 1666.
- 39. — — — An. Marg. Vogleri. 1666.
- 40. — — — puellae Joh. Rinneri. 1666.
- 41. — — — puellae Joh. Rinneri. 1666.
- 42. — — — An. Eleon. Acheri. 1666.
- 43. Carmin. grat. ad Thurnmannum. 1667.
- 44. Ode in caritatem. 1678.
- 45. Andr. Herm. Hellberg gratulantis Acad. Juliae prof. 1678.
- 46. Progr. Henrici Widenburgi. 1680.
- 47. Fest. nupt. Car. Anolvi Sranabrecht. 1678.
- 48. Lact. ac debet. officium ad unum. 1678.
- 49. Pia vota ad Lud. Fabrum spurium et — spuram. 1679.
- 50. Progr. in Jun. nati. Bornemanniae, Tannmanni viduae. 1681.
- 51. Progr. Joh. Reupen. 1709.
- 52. Progr. in Jun. An. Cath. Rinerichiae, Hornesii coniug. 1649.
- 53. Progr. XII Nov. A 1693.
- 54. — in Jun. An. Soph. Schmerhenniae, Seth. Theod. Acheri vid. 1702.
- 55. — Agnesae Krohnen, Car. Torberii vid. 1712.
- 56. Abhandlung von der abgelaugten Dreyheit.
- 57. Progr. in Jun. Hamburgi S. S. 1714.
- 58. Catalogus scriptorum in div. acad. editorum. 1732.
- 59. Progr. in Jun. Carolus phil. stud. 1757.
- 60. Memoria Toppii 1757.
- 61. — Seideli. 1758.
- 62. — Laur. Henders. 1758.
- 63. De vita Frobesii. 1756.
- 64. Oratio panegyric. in diem nat. prin. Frederici V, Saxon et  
Norwegiae regis. 1759.
- 65. De des principitate. Progr. sac. Thurnmanni. 1762.
- 66. Progr. in fest. Michaelis. 1762. —

G 6  
1233

= Nonnulla deunt =

ULB Halle 3  
001 920 952






